

Rx 9. Apr. 43.



VIR SUMME, EQVITVMQVE DECVS,

27a

PODIVM nuper PHILIPPICVM nisi: sed si Amicus es, aliquid in fuste excusabis. Hic nunc ecce, quae de ANAGRAMMATISMO scripsi, habes: parca, et in exignam quoq; formam typis contracta. Si non lauder, legar facilius: et meo malum ingenio, quam aliorum desiderio morem gerere; apta, quam vasta dare. Ut alvens, sic rivus est; ut circus, sic cursus. Lineae meae Propria fuere Nomina, et sis argumentum coërcui. Causa à perverso et pravo homine, Litteras solito ad me missas intervertere dolo, audaciâ resignare. Amicos igitur meos abscondere Anagrammatismis coactus sum, cum et unum illum, atque inimicum, commutatis Litteris RASELRAMIVM appellarem. Quot syllabas, tot ille calumnias, si Dīs placet, invenit, graviterque conquestus est, insanientem se Arietem dici. Igitur, ut me purgarem, scripsi hanc Diatribam: in qua, inter Amica Nomina, et tuum legitur, sub Anagrammatismo, velut nube. Pellucet tamen, si inspexeris: nec potest iubar tuum latere. HEGYNVS est: an satis decorē? Siquid melius, quaeso, temeritatem meam corrige. Est et MALIASSVS, et HISENIVS, et ERISCVRIVS, et OVISSVS, et ARBELAVS, et alii: suis Nominibus, Sal. masius, Heimsius, Scriverius, Vossius, Barlaeus, Evmasius me esse, iam è COMO meo sciri potuit. Statim vero augere numerum, interpretari, et ornare Elugis. Colligere quoque Anagrammatismos, qui circumferuntur passim, et venustum aliquod dictum singuli, è nomine eductum,

Hug. 37.

continent. Magna farrago sit, etiam è Selectis. Quando nihil ago, hoc velim agere: tuâ etiam ope et liberalitate uti; cui iam scio elegantiam istam familiarem esse. Cùm verò excuderetur Diatriba mea, misit ad me Eximius et ingeniosus Vir CARAMEL LOBKOWITZIVS Brevissimum Cabalae Specimen; quod sic<sup>nunc</sup> quoque videbis. Adiungentur et Anagrammatis Arcanorum Caelestium, à VENDELINO nostro, mirâ felicitate scripti; quorum ipse ad te specimen aliquod misit. Quatuor versus Hexametri sunt; aliique ex his quatuor, è singulis singuli; qui mira et magna dogmata aperiunt. Hoc opusculum propediem submissurus sum. Ad studia mea quod attinet, in Caesaribus pergo, et RUDOLFI posteritate; elegantissimis versibus tuis, velut stimulis excitatus. O te Bonum! ô doctum! ô ingeniosum! Etenim à tuo hoc affectu videor ingenium sumere, et tam Augusto andeo argumento par esse; praesertim cùm ad Elogium, velut compendium Historiae stilum convertam. Illam, et plenè scribere, quantum opus! Neque plura iam dico. Et cogor tamen pro filio meo MAXIMILIANO PUTEANO rursus Summaritatem tuam interpellare. Literas impetraverat liberi per agros Diestemienses, vicinòsque itineris; id Beneficium sive Privilegiū mense Februario exspiravil. Ut innovari possit, et in sex rursus menses extendi, permittite ut te rogem. Exemplar Literarum insero; ut quid fieri possit, quid non possit, videas. Quod non potest, tanquàm non petam, accipies: quod potest, in maximum tamen à me sine Beneficium

Beneficium

Beneficium computari. O tempora! o bella! cur non tran-  
quilla et explicata pace itinera sunt? Cur non et tutum mihi,  
ad ea loca excurrere, in quibus te, virtutum et elegantiarum  
delicium videam, audiam, complectar? Sic felix sim, sic ani-  
mum magnâ voluptate impleam, sic aliquid tui in me Genii  
derivem. Hanc adhuc spem concipio: det Deus, ne in vanum.  
Tu interim me tuum Sabe, Sabe filium meum, et utrumque  
novo, quem ille peti, favore magis magisque obstrictum  
Sabe. Clarissimus TVLDENVVS noster, vir ad Bonitatem et  
doctrinam factus, salutem adscribi iussit. Vale, et vive,

Omnium Elegantiarum mens et anima,  
et me amare perge. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Majas,

æ. 17c. x LIII.

Verus Genii Ingeniique tui  
cultor

Eupantus.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and mostly illegible. Some discernible fragments include "Venerabili fratri Constantij", "Rectori", and "Litterarum".

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and mostly illegible. Some discernible fragments include "Etenim a me hoc scriptum", "per litteras", "impetravit", "Litteras", "impetravit", "per litteras", "impetravit", "Litteras", "impetravit".

Hug. 37.

Perillustri et Summo Viro  
D. CONSTANTINO HUGENIO,  
Equiti,  
Domino de Zuydesen,  
Principi à Consiliis et Secretis.  
Amica manu.